



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

20. Agnovit Augustinus sub gratia & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius. Explicatur ista indifferentia conformiter ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

*Tib. 6. de  
gra. Chri-  
sti sal.*

Quæ si quis accuratius tradita, & plurimis Augustini testimonijs confirmata videre velit, legat ea quæ toto præcæ tractatu de natura liberi arbitrij iuxta sanctum Augustinũ ac discipulos ejus disseruimus.

Hinc itaque statim elucet vera ratio, cur semper Augustinus, Prosper, & ceteri Patres, nihil aliud concordiam gratiæ & libertatis explicando postulent aut urgeant, aut postulandum putent, quàm ut arbitrium sub gratiâ, non minùs quam gratiâ destitutum *velit*. Nihil enim conformius ejus doctrinæ dici poterat, quàm constanter sapiens tradiderat, fieri non posse ut velle non sit liberũ nobis. Quod si velle non potest nobis non esse liberum, profectò si gratiâ facit ut arbitrium velit, facit etiam ut liberè velit, & nulla inter gratiã & liberã arbitrium est repugnantia. Quapropter quemadmodũ principia de libera voluntate (quæ non solum senex, sed etiam presbyter diu antequam ebulliret na resis Pelagiana, iecerit) hoc omninò postulabant, ut arbitrium sub quacumque vel Dei vel diaboli operatione liberum ciceretur, quatenus ei non tolleretur velle, sed hoc semper in eius relinqueret potestate, ut fieret quando vellet; ita illa ipsa exactissima conformitas, quam postea ab ipso & omnibus discipulis eius observatã certimus, dum nihil aliud ad libertatem salvandam exigunt, nisi ut arbitrium non nihil agat, sed propriã voluntate velit, euentissimum argumentum est, hunc esse genuinum sensum Augustini quem produximus. Quæ conciliandi ratio eum ab ipso toties adhibita probataque fuerit, & à discipulis ac posteris ad aliquot annorum centurias propagata, quæ etiam Pelagiana & Semipelagiana hæresis prostrata, & omnes querelæ reclamantiũ sopitæ sunt, frustra profectò videtur nunc alia tanto philosophiæ humanæ strepitu qua riri.

Hinc etiam elucet consequenter, cur tantũ silentium apud veteres istius exacti æquilibrij voluntatis ad agendum & non agendum, quod nonnulli tanto studio querunt. Ratio quippe est, non solum quia falsum est, & ab ijs exco-

gitatum qui liberi arbitrij peccato violati statum, & gratiæ medicinalis operationem non satis assequuntur, sed etiam quia ad liberi arbitrij naturam nullo modo necessarium, quæ admodum ex illa liberi definitione ab Augustino iam iam traditi, manifestum est nam siue cum indifferentiã utrumque velit, siue alterutrum cum tanta determinatione ita ut oppositum velle non possit, hoc ipso quo volũtas est quæ vult, necesse est eam esse in potestate, & hoc ipso quo est in potestate, esse liberã. Fortiter enim & constanter & immutabiliter cum pleno iudicio velle id quod rectè sapienterque iudicamus sic esse volendum aut diligendum, non ponit actum extra potestatem nostram, sed quam maximè in nostra potestate, quia in nostrã voluntate.

Hinc ergo consequenter nascitur, cur Augustinus, Prosper, Fulgentius, & omnes isti antiqui toties inculcent contra Pelagianos, qui liberi arbitrij interitum ex gratiã sequi clamabant, quod gratiã non cegat voluntatem non invitã trahat, non inferat vim aut violentiam. Nempe quia iuxta principia eorum nulla gratiæ efficacis, nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ, quæ videlicet ut ipse loquitur, non est in nostra potestate, sed *transi nolumus* (hoc est nobis inuitis & nolentibus & reluctantibus) *efficit id quod potest, sicut est necessitas mortis*. Reliquam verò quamcumque & quantamcumque necessitatẽ, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, inquit, cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis: nempe quia etiam per talem, tale velle in nostrã plenissima est potestate: si enim, inquit ibidem, *volumus est, si nolumus non est; non enim vellemus si nellemus*. Quod & alijs multis locis tradit ut supra latè vidimus. Cum igitur hæc omnia ad amussim ex omni parte principijs ab eo traditis de libero arbitrio conueniãt profectò ipsa rerum admirabilis consonantia altissimè clamat, hanc ipsam esse veram genuinamque diuinã gratiã cum libera voluntate concordiam.

## CAPVT XX.

Agnouit Augustinus sub gratiã & antegratiã indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius.

Explicatur ista indifferentia conformiter principijs Augustini.

**Q**uæres fortassis utrũ igitur nulla indifferentia, siue contrarietatis, siue contradictionis sit in libero voluntatis arbitrio post peccatum, quamdiu in mortalitate vivimus? Si enim non adest indifferentia contrarietatis, quomodo

possumus hic semper bene & male vivere? si non adest indifferentia contradictionis, quomodo ergo dicitur: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit?*

Respondetur quãndiu hic vivimus, siue in infidelitate ante gratiã, siue jam sub gratiã, indiffe-



indifferentiam ad contraria, hoc est, ad volendum faciendumque bonum & malum semper inesse libero arbitrio: sed non eo modo, quo isti Scholastici putant quos supra diximus, qui quocumque modo arbitrium, sive gratia, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant cum utraque ejus dispositione posse fieri, ut utrumlibet velit sive bonum sive malum, pro illa sola scilicet innata indifferentia voluntatis, quæ sub quacumque dispositione actum præveniente sese suâ libertate in utramque partem flectit. Talis enim indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissime negata fuit, & à Pelagianis contumacissime postulata, prout utriusque suis locis demonstravimus. Illa quippe datâ nihil facilius est, quam totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. Nam illa sola ratio fuit, cur illam indifferentiam contrarietatis, tam importanter fugitarint isti, & ille pernegarit. Videbant enim, si talis indifferentia adhuc post peccatum superest, liberum arbitrium non esse peccati iniquitate violatum, integras adhuc peristere voluntatis vires, nullam contractam esse peccandi infirmitatem, imo fortius esse voluntatis arbitrium, quam ante lapsum fuit. Quis enim amplius à tanthissima voluntate virium postulari potest? Quæ cum capitaliter Christianæ fidei adversentur, & gratiæ medicinalis Christi Salvatoris necessitatem auferant, mortuus quoque defendit Augustinus, talem indifferentiam contrarietatis esse perditam inducendamque pro tali libertate peccandi necessitatem. Ad alteram quippe partem contrarietatis, liberum arbitrium post lapsum, ipsâ peccandi perpetuâ cupiditate ac delectatione ceterminatum fuit, amissâ benefaciendi potestate, nisi denuo per gratiam inferatur. Alio igitur sensu liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodum etiam alio sensu sub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuscumque positis, quæ ad agendum bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere. Quod quamvis ex istis quæ supra de potestate non faciendi sub gratia nos determinante diximus, utcumque intelligi potest; hic tamen breviter pro utraque parte annotandum est.

Dicimus igitur liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque ceterminatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere, sed etiam malum. Verum est enim istud non quidem in sensu composito, ut vulgò dici solet, sed in sensu diviso. Nimirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratiæ delectatione efficaciter eam movente positum est, imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi imò peccandi, non quod cessatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum

A cum gratiæ delectantis influxu consistere possit (quod sensus compositus postuleret) sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio coniungi potest. Nam quamvis duo actus contrarii sint oppositi, & in eadem voluntate simul esse non possint; potestates tamen ad opposita non sunt opposita, nec si in vicem nec actibus oppositis & in eodem simul subiecto, sive agente, sive quiescente commorantur. Sic ergo voluntas quantumcumque gratiæ suavitate capiatur, potest non agere id quo rapitur, quia veram non agendi potestatem etiam sub gratia rapiente retinet, quamvis fieri nequeat, ut ipsa non actio cum gratiæ operatione in eadem simul voluntate coarctetur. Sic Deus, quamvis nihil omnino faciat, nisi conformando se iudicio sapientia, rectè tamè dicitur hoc liberè facere, quia potest etiam contrarium facere, quia potestas faciendi contrarium ejus, quod hic & nunc dicitur æterna sapientia, cum actione opposita non repugnat. Sic etiam iuxta

Hoc est igitur quod sanctus Augustinus tradit, quando toties docet concupiscentiam & ignorantiam, per quam nunc omnia peccata committuntur, non auferri ex nobis, quamvis in hac mortali vita versamur. Hinc fit etiam quod in nobis non solum ipsa potentia voluntatis, quæ de se ad malum flexibilis est, sed etiam pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima. Quæ sanè non solum adest inestque voluntati quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intus ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sanè liberum arbitrium qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectè illi dicitur potest posse peccare; licet fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratiæ operatione societur. Hoc sensu

sanctus Prosper: *Qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam a perseveraturus. Nam mutabilitatem, qua potest in tentatione mutari, propter pugnam videlicet carnis & spiritus. Nam ut infra dicit: In ceteris hominibus præter Christum donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non vivit, sed alterius vita est. Hæc est ergo peccandi potestas, quæ etiam sub gratia quantumcumque ad bonum determinante manet. Unde ibidem sanctus Prosper adjicit: Et licet innumeris sanctis suis donec virtutem perseverando usque in finem divina protectio, à nullâ tamen auferat, quod ipsi repugnat ex ipsis: ut in omnibus studiis eorum atque con-*



naribus semper inter se velle & nolle decerent. Quia concupiscentie tumultuationem & repugnantiam, cum in eodem loco latius tradidisset, tandem adjicit: ut quantum auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde cederent, ipsorum se meritum quod steterint. Et in eodem libro multo superius: multis qui iam iudicia rationis nuntiant deo liberum esse descendere, ut non discessisse se praesumunt, & ut quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritum deputatur, quorum ad potuit voluntate fieri. Quam mutabilitatem etiam continuò revocat ad vitium quod per malam voluntatem oritur in naturam. Hoc ergo modo sentit Augustinus & Prosper sub gratia manere peccandi potestatem, quia prater naturalem flexibilitatem ad malum, inhaerentiam concupiscentia per cuius tentationes animus mutari potest quod quia in caelo accidere non potest, confiterentur etiam beatus amplius peccare non potest. Unde idem Augustinus: non potuerunt ibi (in regno) esse peccata, ubi spiritus non dico, non consentit concupiscentiae carnis, sed nec concupiscit adversus carnem, atque ita in caelo indifferentia contrarietatis per magnitudinem atque perpetuitatem intimae delectationis ablata est.

Quemadmodum igitur qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest, ita quoque contrario, qui ista gratia destituitur, siue fidelis siue infidelis, & peccandi tentationibus quatur, potest bene haere. Non quidem quod si semper etiam ante susceptam Christi aut Dei fidem, gratia ad non peccandum sufficiente minuitur (quo nihil aliterius ab Augustini de Gratia dici potest) aut arbitrium etiam ante gratiam sit in illius indifferentia aequilibrio, quae se ad utrumlibet, nulla mutatione facta in requisitis ad agendum, pro libero voluntatis nutu fluctat (quod non minus capitaliter principijs Augustini adversatur) sed quia quantum eunque ad peccandum peccati voluptate, hoc est, voluntatis infirmitate trahatur, manet in arbitrio non solum fides & habitus boni in fidelibus, sed in infidelibus etiam illa saltem naturalis flexibilitas seu capacitas, qua liberum arbitrium credere, sperare ac Deum diligere potest. Liberum enim arbitrium quantumvis peccato corruptum, sicut in hac vita reparari potest, ita etiam credere & iustitiam diligere, & bene operari potest. Quae credendi aut benefaciendi operatio, licet cum infidelitate vel determinatione ad peccandum jungi in eadem voluntate nequeat, potentia tamen illa credendi & benefaciendi cum infidelitate simul manet: quam ob causam recte dicuntur infideles posse credere, posse diligere, posse benefacere, in sensu similiter diviso, non composito, quoad in hac vita constitutus gratia Dei & illuminatione eis conferri potest. Nam hanc ob causam diabolus ac damnatus dicitur non amplius posse benefacere: Non creatus, inquit, contra illum (diabolum) qui corrigi non potest, sed pro ipsis (hominibus) qui possunt. Quam differentiam tangit & sanctus Prosper quando contra objectiones vincetianas dicit: Hoc inter malos ho-

mines distat & damnatus, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misericenter reconciliatio, de nonibus autem nulla est in se ipsorum servata conservatio. Hoc ergo sensu sanctus Augustinus de Judaeis excaecatis & obduratis dicit: Nunc licet advertere etiam ipsi Judaei quorum blasphemiam Deus arguit, non sibi se velati som corrigendi se & peccandi locum: quod quidem Dominus in ea reprobatione non illis; aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum: Quod utique nulla ratione dicitur eis si propter illam blasphemiam iam commutare animum in melius & recte factorem fructus generare non possent. Et in libro annotationum in Prophetam Ieremiam hanc vitam in hunc mundum, habet corrigendi possibilitatem. Possunt ergo infideles credere, quia ut Augustinus dicit: mutari in melius homines possunt, sed per gratiam. Deus possunt peccatores & obdurati & excaecati benefacere, quia ut dicitur de peccatoribus sceleratissimis & incredulis quos Apostolus tenebras vocat: Hae tenebrae non naturales sunt, non incommutabiles sunt, nuntiantur & lumen effunditur: credunt & credendo illuminantur, sed a Domino, quia ut Apostolus ait: fuit aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Hoc sensu alloquimur homines etiam infideles ut credant, credentes ut diligant, ut operentur, & omnique praecipienda consulendi, hortandi, corripiendi incentiva adhibemus, non ut significetur adesse illam immediatam operandi potestatem, quam tribuit gratia, ut nutu voluntatis ei tantum accedente, influxus ejus sequatur, aut non sequatur: sed (quod sanctus Augustinus ex professo sanctus Augustinus docet) ut significetur eos quibus loquimur, habere liberum voluntatis arbitrium, quo praecipitum; aut consilium fieri potest, & non fieri, & per nostrum illud acrimiculum sciant, quod debeant suam convertere voluntatem. Sed si desit gratia, quae voluntatem peccato inhiantem fleat in bonum, potestas illa benefaciendi effectu suo cassa remanebit, nec tamen qualiscumque potestas benefaciendi esse desinet, quae sub peccandi, & non credendi delectatione ac detestatione constituti, possunt credere & benefacere. Hoc enim in eorum natura liberi arbitrij constitutum est, & quamdiu huc vivitur, mutari in utramlibet partem potest. Nam ut Augustinus: Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem natura est hominum. Quod perinde est ac si diceret, homo naturaliter per liberum arbitrium habet potestatem, qua dici potest posse credere, nam posse habere fidem, nihil aliud est, quam posse credere. Et in libro de gratia Christi: Plane illa possibilitas liberi arbitrij (malis) utriusque radice est capax, quia non scilicet potest homo habere charitatem qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem qua sit arbor mala. Et Hugo de S. Victore, non indiligens S. Augustini discipulus, rem accuratius & planius scholastico modo explicans: modo antiqua per gratiam liberatum sit a peccato liberum arbitrium nec velle nec perficere bonum potest. Sicut diceremus de aliquo compedito: non potest hic ambulare, id est in potestate sua non habet, tamen concederem possibile.

Lib.

lib. 1. c. 12.

Lib. 6. con. Jul. c. 13.

Aug. in Psa. 139.

Prosper in ob. 6. vi.

In resp. in bonis Ep. ad Rom. an. 5.

Annec. lib. 1. 5.

Tract. 13. in Iona.

Serm. 1. 1. de bono Lib. c. 3.

Lib. de gra. & lib. arbi. c. 11.

Lib. de praed. dest. Sav. c. 5.

Lib. de gra. Christi. c. 10.



possibile esse hunc ambulare, quia potest evanescere, ut solvatur & ambulet. Et infra, cum sibi objecisset, quod liberum arbitrium etiam in peccato constitutum esset liberum, ideoque possit bonum velle antequam daretur gratia, respondet plenius & planius: Sed ita est hic sicut in compedito illo qui scilicet non potest ambulare antequam solvatur: & tamen per se verum est, possibile esse hunc ambulare, vel hic potest ambulare. In eodem sensu similiter non negamus de illo peccatore vel pagano, vel qualibet alio, quoniam possibile sit eum bonum velle, vel quoniam possit bonum velle; sed non nisi hoc modo scilicet, si datur gratia per quam liberetur, et quae ei cooperetur. Et sanctus Bernardus ejus coaetaneus. Quid igitur agit, ut liberum arbitrium? Breviter respondet salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium &c. Ne autem tantum passivè habere crederetur, explicat salvari esse consentire. Sed istud consentire, nisi per gratiam, quae liberum arbitrium in malum primum retorquet in Deum voluntati reipsa tribuatur, frustra adhibebitur qualemque praecipientis & consulentis, & exhortantis, & increpantis eloquium. Unde Augustinus, cum per illa praecipia, quibus aliquid jubemur velle aut nolle, liberum arbitrium demonstrari docuisset, ne quis putaret, ut illi Scholastici putant hoc statim propterea pro ista indifferentia voluntatis, quasi praesente semper gratia, posse fieri & non fieri, circumspicere adicit: *Quod tamen ut fiat adjuvat gratia, quae nisi adjuverit nisi ille erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiae;* Et in alio loco: *precepto admonitum esse liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum: quod quidem sine suo fructu prorsus admonetur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addit sibi quaereret, unde quod iubebatur impleveret.* Significat enim quando non adest praecipit gratiae adiutorium, non solum non adesse illud indifferens agendi & non agendi aequilibrium, quod primum tantum voluntatis sursum ac deorsum impellatur, verum non solum nihil boni futurum, sed etiam maiori impetu in malum esse rapiendum, quamvis interea non peccandi potestas seu flexibilitas semper in hac vita cum quolibet peccandi delectatione, imò peccati voluntate ac perpetratione maneat.

Et quamvis talis non peccandi seu benefaciendi facultas concupiscentia faviente, & gratia non juvante, nullius fructus sit, ad hoc ut reipsa peccati reatus effugiatur, utilitate tamen sua nequaquam caret. Est enim saltem propria malitiae peccantium certissimum testimonium, quo Deus extra omnem culpae suspensionem constituitur. Nam hoc ipso quo homini, quaecumque ipse cupiditate ac delectatione in peccata rapiatur, interna illa non peccandi facultas, quamvis impedita ligataque permanet, satis intelligitur non Dei aut cuiusquam alterius, sed ipsius hominis culpam esse, quod illa facultate ad bonum diligendum fa-

ciendumque data, utatur ad malum. Pondus enim istud, quo nunc premitur, ac delectabiliter, imò insuperabiliter, gratia absente, ad peccandum trahitur, non illi facultati ex creatione Dei, sed ex supplicio mala voluntatis accessit; quo fit, ut si quid inde peccati proficiscitur, non potestatis defectus afferat patrocinium, sed perverse voluntatis culpa supplicium. Habuit enim potestatem plenam evitandi peccata, si vellet; quod si noluerit, peccandoque sibi peccandi, facilitatem, ac talem benefaciendi impotentiam comparaverit, cui nisi nolenti imputaveris? Itaque sanctus Augustinus huiusmodi peccata, quae ex ista contracta peccandi necessitate contingunt, semper vera peccata esse proficitur, quamvis ea voluntas ita constituta vitare non possit, & semper simul docet, si talis impotentia homini sine culpa ex natura contigisset, ab omni reatu fore liberum: *Sed haec omnia, inquit, hominum sunt vices, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista poena hominis sed natura, nulla ista peccata sunt.* Nempe quia non recedunt à statu quo homo naturaliter factus est, sed ei conformiter potius vivitur, dum naturalibus ejus inclinationibus morem gerit. Quod & alijs locis constanter docet, ut pluribus loco suo demonstravimus.

Huc accedit, quod huiusmodi pondere delectationum, quibus efficitur, ut voluntas rationalis actu velit bonum aut malum, non tam posse aliquid facere, quam velle tribuant: & ideo consequenter posse, quia tribuunt velle, quo fit ut etiam tunc cum jam pondere malarum cupiditatum ac delectationum ad peccandum trahitur merito voluntas magis quam potestas, ideoque potestas, quia voluntas, cessio censeatur. Delectatio quippe suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle, & ipsum velle dando, etiam posse largitur. Quod enim quisque vehementius vult eo robustior est, sive in bonum, sive in malum: quia in libero arbitrio posse non praecedit, sed sequitur voluntatem. Vnde illud Augustini: *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntas.* Et alibi tantum quippe spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideoque sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Et iterum: *Ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec velent, aut non ita velent infirmitate voluntatis, ut possent.* Vnde cum alio in loco dixisset, *omnes homines ad Dei praecipia se convertere posse si, velint, ut intelligeremus istam potestatem proximam convertendi se non praecedere, sed sequi seu comitari ipsam bonam voluntatem, & in ipso primo & forti bene velle constitutam esse loco explicationis adiungit: Verum est omnino omnes homines hoc posse si velint, sed preparatur illa voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis ut possint.* Et rursus cum tanquam rem certam statuisset, *in nostra potestate positum esse, mutare in melius voluntatem, & hoc ex Christi verbis astruxisset, quibus dicit, Aut facite arborem bonam &c. ne quis sibi persuaderet hanc mutandi potestatem*

Declar. lib. 1. de gratia & libero arbitrio.

Lib. de gratia & libero arbitrio. cap. 4.

lib. 1. 18.

Lib. 3. de libero arbitrio. cap. 13.

Lib. 1. de tractatu de 22. Lib. de corinthios & gratias 12. ibid.

Lib. 1. de vita cap. 10.

Ibid. c. 27.



testatem plene inesse homini, antequam rursus ipsa bona voluntas detur, explicat sese in eundem hunc modum: *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi detur à Deo.* Hanc autem potestatem in ipsa collatione mutationis seu bonae voluntatis esse sitam etiam hic statim adjicit: *Cum enim hoc sit in potestate (id est cum hoc possimus) quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est. Sed preparatur, id est datur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem. Et mox addit aliud non dissimile: Sic intelligendum est & quod dixi postea: In nostra potestate esse ut vel in serui bonitate Dei, vel exiidi eius severitate mereamur. Quia in potestate nostri non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem, quae cum seruis & potens preparatur à Domino, facile sit opus pietatis etiam quod difficile atque impossibile fuit. Quae redditione bonae voluntatis etiam ipsam bene agendi, imò et bene volendi potestatem reddi nemo mirari debet. Cum enim potestas illa proxima bene volendi hoc ipso amissa sit, quod illud voluntatis imperium ac nutus, quo seipsam seletat voluntas (cum gratia sine qua non) ad bonum, propterea videretur, flexere, & non flexere, per introductam concupiscentiam delectationem, captivum sit & miserabili servitute depresso, ita ut nihil ei libeat, nisi terrenis delectationibus titillantibus consentire; non aliter quoque redditur, nisi ex illa captivitate per victricis delectationis caelestis infusionem sibi consentium vindicantis, eruatur; quae sicuti hoc ipso bona voluntas, ita etiam voluntas bene agendi redditur. Nam ista victrix delectatio, sicut hoc ipso quo datur, & captivitate consensu eruit, ita hoc ipso semper cum bona voluntate & potestate coniuncta est. Velle ergo dat posse, & fortiter velle, fortiter posse; quia quanto vehementior est voluntas, eo robustior & insuperabilior est potestas. Quemadmodum igitur cum voluntas fortis gratiae delectatione preparatur, ut ardentem diligat bonum, non potestas proprie peccandi aufertur, sed voluntas, & eatenus tantum potestas, quatenus voluntas, quae à malo per istam gratiae delectationem advocata, vehementer affigitur bono; ita vice versa, cum liberum arbitrium concupiscentiarum delectationibus rapidissime precipitatur in malum, ut ardentissime illud diligat, non tam benefaciendi potestas ei tollitur, quam voluntas, & ideo potestas, quia voluntas, posse enim sequitur voluntatem. Ex quo illud Augustini*

*Lib. de Spir. & lit. 5. 10. tritissimum fluxit: Hanc dicimus potestatem vbi voluntati adijcit facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere, hoc est posse, dicitur, quod vide lib. de grat. Christi Saluat. Insuper. si vult facit, si non vult non facit. Quam sententiam saepius apud ipsum videre licet, & superius à nobis latius explicatam. Iuxta hoc*

A principium Augustinus impotentiam illam benefaciendi, quam in incredulis & quibusque obduratis, execratisque certimus, quantumcumque gratia delituit, certissima culpae deputat; tum quia ipsam sibi ipsi volendo perpererunt, tum quia ipsa eorum impotentia in vehementissimè nolendo sita est, quam nolendi vehementiam & inde impotentiam ardentissima concupiscentiae delectatio facit. Itaque alibi de execratis loquens: *Quare autem non poterant credere, si à me quaratur, ita respondeo quia volebant malam quippe eorum voluntatem praevindicta Deo. Et cum obieisset eam executione provenisse, quae posita videre non potest, respondet: Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Et inferius: non itaque mirum est, quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat. Et iterum: Sicut ergo quod Dominus fecisset regere non potest, laus est voluntatis divinae, ita quod illi non poterant credere culpa est voluntatis humanae. Haec ergo firmitas ardore voluntatis mala, vel eminenti delectatione concupiscentiarum adiuta & incitata, parit benefaciendi impotentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, id est ideo quia fortiter stabiliterque non vult: cum qua tamen quia manet facultas illa liberi arbitrii interna & flexibilis benefaciendi, mala voluntas propter causam iam dictam rea est, quamvis nulla ei detur gratia, & habet quandam ad contraria indifferentiam, quamdiu in hac vita vivitur, ratione cuius si spiritus sanctus aspiraverit, bonam voluntatem seu velle, quod petulanter amissum est, iterum suscipere potest.*

Quod si ista declaratio permanentis in hac vita indifferentiae, seu, ut loquuntur, libertatis ad contraria intelligitur, iam facile patet, quid de inflexibili contradictionis astringendum sit. Nam hoc ipso quo semper adest libertas talis ad contraria, siue ante gratiam, siue sub gratia delectante atque determinante, necessario quoque libertas ad contradictoria adest eel et. Posse namque facere malum tantquam contrarium boni illius quod gratia facit facere, est multo magis posse non facere hoc ipsum bonum. Quanquam & ipsum bonum, simili modo sub gratia delectante constituta, quando etiam re ipsa facit, possit non facere, sicut potest & facere aliud malum. Sed sicut utrumque contrariorum potest in sensu diuise, non composito, ita quoque utrumque contrariorum posse dicendum est. Quod ex ijs quae iam dicta sunt, tum isto praesenti capite, tum alio, vbi de libertate ad utrumque sub physica praedeterminatione, aliquid secundum aliorum sententiam diximus, satis superque intelligi potest.

## CAPVT XXI.